



Bellouesus Ambigati regis Gallorū & Germanorum ex sorore nepos fuit: hīc cum fratre Sigoueso nouas sibi terras quārere iussi, fratri Hercynios saltus inuadēdos reliquīt, ipse uero Italīa pete re statuit. Nam ob cœli clementiā & frugū fertilitatem locus is cōmodo dīssimus uisus est, in quo suā sedem figeret. Itaq; Bituriges, Senones, Heduos, Boios, Carnutes et Aulercoſ ferociſſimas gentes secū traxit, atq; Italīa uersus pfectus est. factum est id anno mūdi 3350. eo tempore cum Tarquinius Priscus Romæ regnaret, atq; Daniel Propheta Nabucodonosori ſomniū ſuū explicaret. Cum aut ad alpes Bellouesus uenisset, uelut religione iniecta, q; uide

ret iuga montium fere cœlo æquata, & ad id tempus uſq; nemini (præterquā Herculi) peruia, consiliū captare cœpit, quō nam modo cum tam numeroſo exercitu in alium quaſi orbem transcenderet. Tum uero commode fama adfertur, aduenas quārentes nouum agrum à Saluiorum gente oppugnari.

Erant hi Massilienses ex Phocide nauibus profecti. Itaq; Galli et Germani id omen fecuti Græcis enixi opitulan̄t, atq; uictoriā eis largiunt. Ibi postea à peregrina gente Massilia posita fuit. Ut autem Græci ſeſe gratos Belloueso ostenderent, authores ei fuerunt ut per Taurinos saltus et alpes Iuliaſ in Italīa tenderet, eumq; annona & præſidijs adiuuarūt. Cum magno labore alpes ſuperaffent, primò Tuscos obuios habuerūt, quibus haud procul Ticino amne prælio fuſis, in eo loco quo uictores extiterant, conſiderunt. Ibidē etiam in agro Inſubriū urbem condiderūt, atq; Mediolanū uocarunt, propterea q; Aulerci, qui eius expeditionis ſocij fuerunt, urbē eodē nomine in Belgica habuerunt. Sicq; amoenissimū Italīa latus incoluerūt, quicquid terræ inter alpes et Padū latē patet, iſpis Tuscis & Vmbris electis atq; expulsis. Hac ratiōe Bellouesus primus transalpinorū Italīa ingressus, partē eius occupauit, atq; magna animi & corporis fortitudine ad finē uitæ uſq; gubernauit. Moriens aut ſuam prouinciam filij ſuis administrandam tradidit. Sab. Enead. 4. lib. 1.